quem plurimi facio, maxima qua observantia colo. Auct.

TRACTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

AQUA INTRA PERITONEUM EFFUSA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

HONORATI ROBERTI SMITH, PRÆFECTI,

NECNON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

In Academia Terrae Mariae,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUBMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PREVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

EXAMINI SUBJECTAM SUSTINUIT

EDVARDUS H. WORRELL,

DE URBE BALTIMORE DICTA,

Socius Societatis Medicæ Baltimori institutæ honorarius et eorum qui societatem constituerunt.

Corrupti jecoris vitio vel splenis acervo
Crescit hydrops; aut cum siccatæ febre medullæ,
Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem;
Tum lympha intercus vitio gliscente tumescit,
Secernens miseram proprio de viscere pellem....*Sammon.*

BALTIMORIENSI:

EXCUDITUR RALPH W. POMEROY, & CO.

NO. 12, LIGHT STREET.

1815.

ELIZABETH WORRELL,*

matri dilectissimæ qua cordi nihil sit carius
quæ piè et sedulo ætatulæ suæ incogitabili
incubuit;
atque recte agendi omnia incitamenta
procudit;
grati monumentum animi
ejusque, qui filium decet, amoris,
hasce eorum primitias
consecrat
amantissimus devinctissimusque
filius
EDVARDUS H. WORRELL.
Quorum benefactorum
si immemor sit, vel ullum locum
grates persolvendi dignas prætermittat,

"——*Illi* vel tellus optem prius ima dehiscat;
Vel pater omnipotens adigat *eum* fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam!"

**Pater, me peradolescente, mortalitatem explevit.*

SISTE, SISTE, O LECTOR!

MEMORIÆ JACOBI COCKE, M. D.

PRIORIS ARTIS INCIDENDI ACADEMIÆ REGIONIS MARIÆ

PROFESSORIS, IMMORANDUM EST;

qui aspectu ingenuo, pectore animoso, indole
apprimé benigna; suaviloquentia,
vel comitate sermonis valde jucunda,
dulcedine morum inimitabili, atque judicio
felicissimo quod insigni in rebus medicis sagacitate
peritiaque maximè claruit;
ingenioque feraci, faceto, versatile,
in quo fuit nemini,
ac industria, doctrina, et scientia,
haud multis secundus:
exemplar virtutis raræ splendens emicuit.
At—desiste misericors!
Estne dicendum, quòd hujus seculi vernans spes.
intempestivè flatu febris æstuante fuit ustus?
Imo—Parc æiniquæ!
Defloruit,
et 25th Octobris, A. D. 1813, ex horto vitæ
algida manu lethi horrifici,
extirpatus fuit.

Et funebris cupressus, in ejus loco, pandit
suos ramos lugubres atque umbrosos, sub quibus
roscida rosa pura, frigida, et pallida
quasi Desperanti consita,
circumfundit ejus nitorem solitarium.
Animam, uxore filium enixura deplorante, efflavit;
et in agro Cantiæ (anglice Kent,) Mariæ regionis
ad orientem spectante, sepultus est.
Bonis et dignis mors ejus
"Qui primus virtutis honos est"
semper deploranda; et
lachrymæ Scientiæ Medicæ oculos præstringent,

"In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet."

JOHANNI B. DAVIDGE, A. M. M. D.

ARTIS INCIDENDI IN ACADEMIA TERRÆ MARIANÆ

Quam,

Medicis J. Cooke, et J. Shaw, simul adjuvantibus,

fundavit, professori spectatissimo,

hocce opusculum, non quod

eruditioni suo multiplici, ingenii acumini, aut

judicio acri,

quæ "αξια πεπλȣ͂" sunt,

possit arridere; sed ut,

de ejus morum decore, et elegantia, et dignitate

sermonisque suavitate, animique benignitate

qui sibi omnes *ingenuos* semper obstringit,

præsertimque *strenue efficace* in omnes artium bonarum

cultores benevolentia, et magnis

benefactis in eum, præceptore et amico suo dignissimo

carissimoque orbatum, collatis

mentem expromeret;

atque miræ et penè divinæ sagacitatis solertiæque,

quibus potentissimos pervicacissimosque

morbos vexilla submittere cogit,

admirationem exprimeret:

Sacrare multum voluit

addictus alumnus

AUCTOR.

PRÆLEGENDA.

L'IMPATIENCE du mal, l'amour de la vie, l'horreur de la mort, sentiments aussi naturels que celui de notre existence, firent chercher aux hommes la gucrison de leur maux.......*Dujardin.*

Ens sapientissimum corpus formosi hominis multiplex formavit, et os ei sublime dedit. Hoc nimis frequenter dolore fit multò deforme, et haud raro morbus totum diffingit infectumque reddit. Quis est igitur qui, corpus fractum membra dolore, et morbo labefactatum prolapsurum, instaurare et reficere potest? Non sapientiæ infinitæ congruit, pro homine lapso atque minus obsequente quotidie miracula edere. Quic quid opis sit iis, medico ferendum, ab illo solùm succurritur. Quapropter haud temere inquit Homerus:

> "'Ιητρος γαρ ανηρ πολλων αντaξιος αλλων,
> Ιούς τ'εκταμνειν επί τ' ἤπια φαρμακα πασσειν."

In omnibus morbis, quibus genus humanúm tam sæpe et graviter vexatur, dulce lenimen a medico est semper adhibendum, adeo ut Dii, procul dubio, in ani-

mos induxerunt, ut Spes, in ima Pandoræ pyxide inventa, postquam varia mala pestifera anfugerant, medicum bonum, sapientem, et valde eruditum effingeret, qui equidem rarescere videtur, "nigroque simillimus cygno," hodiernis diebus, est.

Deus ædificat, ad conservandum Medicus solus competit. Stat proximus Deo. Ad honores tergeminos tollitur. Ergo oportet eum medicinæ, die nocteque, summis viribus, animum intendere, ut cohortem morborum et illachrymabilem mortem, tristia monstra quibus "nec sævior ulla—Pestis et ira Deum Stygiis sese extulit undis," in fugam convertat, quod munus splendidissimum et dignissimum est quo ars salutifera fungi potest. Non solum dolorem gravem lenire et mortem minùs frequentem reddere, sed indolem molestam mutare, organis vires ad varias functiones ex ordine perficiendas sufficere, et mortem nimis præcipitem morari, est meta optatissima quam, ut cursu præclaro contingeret, medicum sudare atque algere oportet.

Etsi memoravi, omnibus medicis esse officio, ut scientiam medicam summa ope promoverent, artem circumspectione religiosissima Apollinarem exequerentur, et magnopere niterentur ad vires quibus morbi depelluntur augendas, addendo quicquid quomodocunque exiguum quod sit iis, sicut

"Parvula (nam exemplo est,) magni formica laboris
Ore trahit quodcunque potest atque addit acervo,"

tamen nulli sit deputandum, me propositum aut fidem habere, ut hæc disquisitio aliquid obscuri in præcognitis, illustrabit, aut aliquid ex incognitis, notum reddet. Materia tota est aliena; et forma necessario inconcinna

et agrestis propter adhibendam ejus præparationi temporis brevitatem.

Aggressurus solummodo, ut tandem possim mihi Delphica lauro cingere comam, quod mihi tam diu interdictum fuit, propterea quod, decreto Facultatis, prohibitum est, aliquid religioni discors in apricum proferendum esse; et quibusdam stat scententia, philosophicam necessitatem nostræ prioris argumentum tentaminis de "Voluntatis Legibus," cum religione discrepare.

Quandoquidem periculum de aliquo argumento alio inaugurale faciendum est mihi, priusquam gradum Doctoris Medicinæ assequar, definitum est, ut pauca de aqua inter abdomen effusa, aut ascite (velut technicis arridet,) laconice proferam. Virium fiduciâ parum suffultus, tempore, quo perficiendum opus, rite perpenso, magna diffidentia, edico, inchoatum iri.

Morbus, de quo acturus sum, ad genus morborum nosologicis hydrops vocatum, recte pertinet. Hoc genus ex duabus speciebus scilicet, idiopathica et symtomatica, consistens, varietates plurimas complectitur, quarum unaquæque suum, ex loco quem occupat aqua, nomen adipiscitur; quum pectus laboriosum gravat, hydrothorax nuncupatur; quum in tela corporis totius cellulosa delitescit, anasarcam appellant nosologi; atque cum latex effusus in abdomine stagnat, nomine ascite agnoscitur.

Species ultima est ea quam pro hac occasione esse selegendam ratus sum, et ad quam perstringendam, ita male accinctus, nunc aggredior.

TRACTATIO MEDICA.

PATHOLOGIA MORBI EJUSDEM DEFINITIONEM AMPLECTENS.

"Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
    Corpore languor."....*Hor. Carm. lib.* 2, *od.* 2.

CORPUS humanum vasis laticem plus minus sanguinis naturâ gaudentem vehentibus, scatet. Ex iis quæ sanguinem vehunt, sibi invicem alligatis, gyrus evadit, ac sanguis, per eum propulsus, dicitur cursum circularem habere. Varia minora, ex hoc vasorum circulo, proveniunt, qualia sunt educentia, (ut mihi placet ea vocare,) quo in verbo omnes ab arteriis exitus complectuntur. Educentia, pro perspicuitate, in duplex genus, secernentibus et exhalantibus consistens, nobis ordinanda sunt. Priori generi omnia vasa quæ ad liquidum peculiare, velut bilem, semen, aut lachrymas, secernendum destinantur, annumerandum est; secundo, omnia quæ tenuem solummodo halitum, (qui recte etiam habeatur secretio,) expirant. Secretiones

ad fluidas circumeuntes, nunquam sano corporis statu, redeunt; vel in receptacula idonea quibus annectitur ductus efferens quo eliciuntur, stillant; vel e superficie sicut acidum carbonarium, avolant. Halitus in tres partes divisus est: quarum una superficiem petit, ibi in vapores convertitur, et evanescit; alia in secretionum receptacula et suas appendices perfluit, ac inde per elices abluitur; tertia, interna cava ex quibus nullus, nisi per vasa resorbentia, conceditur egressus, irrorat. Hæc ultima est ea sola quæ dirum hydropem gignere potest. Dum habitus corpori est vegetus et vasa totis viribus prædita officiis rite funguntur, omnem humorem, qui in cava exhalantibus effusus est, resorbentia, actione æquiparante, sitienter ebibunt, adeo ut nullus hydrops, quamdiu æquilibrium quoad actionem inter duas hasce vasorum classes obtinet, oriri queat. Verum si quidem actiones eorum fiant dispares, id est, si quid, quod non vasis respondentibus tollitur, humoris effunditur, accumulat, et haud multo post fit morbus. Hoc bifariam contingat: primo, vasa etiamsi humorem ea qualitate ut resorbentibus avide imbibatur, tamen adeo abundantem ut iis ad cava funditùs exinanienda vires haud competunt, effundant; secundo, ea sit vasis conditio, ut laticem, qui appetitui resorbentium fastiduum afferat, secreverint, quem igitur vix primoribus quidem labris attingerent, atque perparce (ut omnibus videatur,) amoverent.

Hydrops, primo modo, originem ducens, aptissime vocatur idiopathicus, de quo nobis nunc argumentum est; at si, modo secundo, oriatur, nomen symptomaticum asciscit, propterea quod actionem arteriarum pe-

culiarem insequitur, qua latex adulterinus haud resorbentibus libenter accipiendus, offertur, quamobrem accumulat, et morbus evadit. Eo adorto, copiæ curatoriæ artis belligerantes morbo præcedenti ordinabuntur; quare, propositum est mihi, cum in hac disputatione, silentio præterire.

Quum aqua exta inundat, et intra peritoneum stagnat, morbus oritur, nomen habens ascitem, cui (ut plerique antumant,) est etymon ασκοσ, *uter*, quia tumor utri similitudinem habet. Hæc etymologia, confitendum est, mihi haud multum arridet. Credere haud cunctanter possumus, quod, rotâ sortis currente, nomen ασκητης, hoc est, "*qui exercet se in divinis rebus*," in mentem exivit, et huic morbo ascitum fuit, propterea quod ασκητες, in regionibus fidem Romanam amplectentibus, ubi vocabulum originem habuit, degunt vitam qua morbo maxime obnoxii fiunt, et ergo concludendum est, quod hydrops inter eos valde increbuit.

Cum ascites pallidus stillans caput ex undis san guineis effert, signo, secundum celeberrinum Cullenum nosologicum, agnoscitur, insequenti: "abdominis intumescentia, tensa, vix elastica, sed fluctuosa."

Inter memoratos nosologiæ cultores illustrissimos, nullus, omnium consensu, tam lucide morbos depinxit quam sagax Davidgius. Nimirum linguam iis disertam tribuit. Quapropter auscultate, et luctificum hunc lethargicum, quæ tam graviter facessant facunde narrare, exaudite.

ASCITES.

"Abdominis intumescentia tensa, vix elastica, sed fluctuosa; urina parca; febricula; sitis maxima."

MORBI HISTORIA.

Ab ævo antiquissimo, hoc malum invaluisse, ex historia medica pariter atque humani corporis natura, rescimus. Liquet etiam, nullam anni tempestatem, nec ullum cælum hujus morbi, quem tractamus, prorsus expers esse. Regiones autem aliquæ majorem proclivitatem ad eum, quam aliæ, gignunt; scilicet, qui vitam in paludosa humo, vel humido cælo degunt, huic malo plus opportuni sunt, quam qui sicca loca excelsa aut montana cacumina incolunt. Quinimo, nullis datur ætatibus, nec ulli sexui ejus immunitate frui, sicut doct. Sydenhamo recte animadvertitur: "omnenem hominum ætatem, sexum omnem ab hydrope nonnunquam infestari." Verum enimvero qui multos annos, propemodum, teste Duncano, quinquaginta superaverunt, et feminæ quam mares, ei multo frequentius ojiciuntur.

Postquam ascites ingruerit, pro ore roseo, et lumine sanitatis nitente, oculorum nitor hebescit, vegetus faciei color marcescit, ac luridus pallor alis vultui plumbeis incumbit. Macies rapax artuum carnem exest, sævo monstro in abdomine sedente augescenteque; ex quo oritur fæda deformitas quæ miram corporis pulchritudinem vitiat. Ægrotans denique spectaculum fit luctuosissimum.

Morbo incipiente, vires labefactantur, lassitudo languorque obrepunt, pigerque torpor membra ad moven-

dum minus pollentia degravat. Arteriarum pulsus plerumque sunt debiles, ac solito tardiores, malo autem inveterante, incitatiores micant. Appetentia cibi frænata reprimitur, ventriculusque, inflationibus aliisque signis eum atoniæ ad partem aut universitatem spectantis, quæ nusquam non evenit, esse participem ostendentibus, conturbatur.

In gradu huic insequenti, aqua signum hujus morbi spectatissimum, et cum eo simul nascens, multum infestare incipit. Aquam in ventre delitescere, medico manum uni abdominis lateri admoventi, et alterum vibranti, innotescit; ei percipitur agitatio fluidis propria vel fluctuatio ut vocatur. Ægrotis quoque ex improviso posituram in lecto mutantibus, sensu fluctuationis, ejus cognitio facta est. Latex varia loca sibi invicem distantia, aquoso diversissimè inclinante, occupat; corpore erecto, legibus quæ fluida regunt obtemperans, in regione abdominis ima vel hypogastrica, sedem habet; ægro recumbente, lateri quo nititur ægrotus, defluit ibique considit. Tumor magnitudinis, primo gradu, non horrendæ, maxime adaugescit, adeo ut, ægro decumbenti, multum molestiæ infert, atque somnum magnopere interturbat. Alvus est fere astricta, interdum autem nimiùm soluta. Sudor prope est nullus; lingua arida; et superficies quidem tota inarescit. Urina est cænosa, et parciùs solita copia redditur, retrimentum subrubrum vel lateritium depositura. Sitis adeo inaret, ut nequaquam supprimi potest, in se omnia ingurgitat: "Ille (quidam ægrotus,) summa diligentia non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur, tamen malagmata sua devorando, bibendoque

suam urinam in exitium sese præcipitavit." Equidem nobis licet dicere, eam inexplebilem esse, aut in verbis Ovidii:

"Quibus intumuit suffusa venter ab unda
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ."

Provectiore morbi ætate, tumor abdominis multum ingravescit, et molestissimam magnitudinem adipiscitur; atque abdomen eo distentionis venit, ut ejus parietibus sejunctis, intestina dilabantur. Artuum inferiorum intumescentia, partibus superioribus descrescentibus, se ipsam ostendit; quod signum nonnullos, scilicet, quibus temperamentum leucophlegmaticum insedit, sub initio morbi, haud raro adoritur. Aqua ad ingentem molem adaucta, febris accenditur; tussis sicca, quæ, aliquando, malo incipiente, facessat, ægrum vexat; spirandi difficultas fatigat. Quinimo, ex ventre vehementer intento, dolores originem ducunt, et miserrime excruciant. Quæ omnia concurrentia totum vitæ ipsius fundamentum labefactant. Vires franguntur, æger tametsi somniculosus noctem insomnis ducit, nunquam se somno potest reficere; somnus, siquando ei obrepserit, horrificis plerumque aut ingratis saltem imaginibus excutitur; obdormiscit ac subito expergefit, fatigatus. Facies aspectum lethalem induit. Languentia lumina vitri instar semiopaci sublucent. Angoribus nunc pene confectus, vita fit valdè ærumnosa, et desiderat quieto brachiorum Libitinæ permulcentium amplexu circumplicari.

Hic morbus diù permaneat, priusquam æger mortalitatem expleverit. Memoriæ, in Med. Obs. et Inq.

Lugd. mandatur exemplum, in quo ascites mulierem infestans quadraginta annos et quatuor perduravit. Nonnunquam autem tam citato et violento gradu progreditur, ut mortem tempore brevi obit. Medicis innotuit, hunc morbum cor et pulmones, aquâ collecta, frequentissime opprimere, atque ita impetum quasi in vitalem arcem faciendo, totum corpus diruere. Ascites quibusdam casibus, pedetentim incedit, miserum ægrum, febre hectica, variisque recensitis malis, lacessans, donec, delassatus, eum, comâ vel animi deliquio. in brachia Libitinæ leniter transfert.

DIAGNOSIS.

Etiamsi credendum est, scriptis PATHOLOGICI, artis incidendi professoris, nihil controversiæ linquentibus, omnia morborum genera leges *sui generis* ferre, tamen, utpote hæ, ab vita animali quæ in humano genere eadem est, obtemperandæ sunt, effectus plus minus se invicem semper referent. Exinde utilitas signorum quæ diagnosin constituunt recensendorum oritur, quo alii morbi ex aliis dignosci possunt.

Inter morbos hunc mentientes *hydrops saccatus* in conspectum egreditur. Hic morbus sub initio, se tumore circumscripto, et extrorsum prominente, ostendit, gradatim progreditur, et parum molestiæ infert, donec in miram molem adauxerit. Abdomen, ægro posituram mutante, haud tam tumultuatur, aqua ad lo-

eum detineri videtur. Artus inferiores non intumescunt, prius quam morbus diù permanserit; nec tussis inquietat; nec respiratio fit anhelosa, si ægrotans per acclivem ascendat. Appetentia cibi restat imminuta; vires totius corporis non dilabuntur; æger in somno noctem agit; sitis non pariter urget; urina haud copia tam parca quam in morbo generali redditur. Denique morbus fere longius quam ascites perennat.

Ascitem cum *tympanitide*, fertur, nonnunquam confundi. Atque in tympanitide, ventre percusso, sonum humidi instar tympani, edit; nihil fluctuationis sensum ferit; sitis non adeo intenditur; urina non colore tam rubro gaudens, copiosiùs fluit; tumor abdominis pro mole haud tantum gravat, et molestia, quæ ægrum facessat, flatu sursùm et deorsùm expulso, plerumque permulcetur.

Nonnullis, aliquando inter ascitem et *hydropes ovarii et uteri* dijudicandi, difficultas est. Nobis autem varia discrimina in aprico sunt, quibus hi morbi internoscantur. Hydropes saccati non sæpe diathesi hydropica laborant; et pars qua apparere inceperint, modus quo processerint, et tempus quo permanserint, certissimum discrimen præbebunt.

Ascitem a diversis *physconiæ speciebus* eam referentibus, nullo negotio, secernere possumus. Fluctuationis sonitusque absentia; situ quem intumescentia habet; tumoris pondere et firmitate ex iis facile discernitur.

Graviditatem inter et hoc malum dijudicatio difficilior evadit. Dignoscendi, autem, plurima quibus in utero gerentes obnoxiæ sunt incommoda, et mutatio-

nes quas corpus subit, et ratio qua oriuntur, potestatem offerunt. Inter gestandum catamenia profluere desinunt; mulieres gravidæ nausea languescunt; cervix uteri curtatur; fætus vivus aliquando percipitur; et mammæ usque ad lactis eruptionem, tumescere solent. Intumescentia ab hypogastrio incipit, opus generationis subsequitur, et partus terminum reddit.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Quæcunque corporis debilitatem inducunt, vel causarum excitantium vim intendunt, rite inter causas prædisponentes recenseantur.

Neminem, his positis, latet, homines temperamento phlegmatico præditos, ad hoc malum procliviores esse, quandoquidem hoc temperamentum laxo et debili corporis habitu insignitur. Sequior sexus huic morbo aggressionis prætextum præbet. Imo, insensile monstrum! nitentem fœminam et "semper amabilem" tu quoque impugnas. Bellissima virgo, teres, vegeta, viroque tempestiva, arripitur; pallescit; egregii decus oris evanescit; et se in speculo videns alteram, amissam flet pulchritudinem, marcescit, mæret; et gaudiis Hymenis desperatis, ægrimoniâ, quotquot eunt dies, angitur, tandemque morti corripitur.

"Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam chari capitis? Præcipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum sithara dedit."

Habeo me probe persuasum, omnibus innotuisse, morbos præcedentes quales dysenterea, diarrhœa vetusta, et febres remittentes, variaque quibus vires corporis dilabuntur, incommoda, morbum, de quo agitur, allicere. Nos cl. Pringle certiores fecit, febrium intermittentium relapsus ascitem frequenter induxisse. Ita locutus est: "Frequent relapses brought on visceral obstructions, which made the intermittents more obstinate and irregular, and to terminate in a *dropsy* or jaundice." Verba quæ supra fecimus admodum stabilita fuerunt ab ore elegantis Celsi "sæpe vero hoc malum per se incipit; sæpe alteri vetusto morbo, maxime quartanæ, supervenit."

Late patet, quod exinanitiones, cui nullus prope est modus, omnigenæ, sivæ consulto factæ, sive vulneribus fortuitò inflictæ, firmitatem corporis demoliuntur, ejusque vires subducunt. Ergo, nemo non consensum dabit eas ad hoc malum producendum competere. His etiam accensenda magna defatigatio, exercitatione vel aliter inducta, et varii deprimentes animi affectus quæ eundem fere effectum edunt. Cicero de officiis habet hæc verba: "Vacandum est omni animi perturbatione tum cupiditate et metu, tum etiam ægritudine et voluptate animi et iracundia; ut tranquillitas animi et securitas adsit." Inter causas quæ fluida vitæ tam necessaria exhauriunt, enumerandas, diæta parca, aquosa, vel minus nutriens, et venus nimium indulgenda, haud prætereundæ sunt, quæ posterior huic malo viam sternit, nervosum systema etiam reddendo languidum. Celsus inquit: "concubitus frequens, *solvit*."

Nonnulli, procul dubio, mihi vitio verterent, si locum mentionis faciendæ præteriverim hunc morbum ex usu

liquorum spirituosorum immodico, haud raro nasci. A vetustissimo seculo, medici admonuerunt quod modici munera Liberi non transiliunda essent. Hinc, Androcydes, sapientia clarus, in epistola quam ad Alexandrum misit ad ejus intemperantiam cohibendam, dixit: "vinum potaturus, rex, memento te bibere sanguinem terræ, sicuti venenum est homini cicuta, sic et vinum." Mala, in quæ vinum nimis libere utendo incurrendum est, maxime inter Romanos invaluisse, liquet ex dictis poetæ Aquini: 'Dum bibimus—obrepit non intellecta senectus.'

Homines, hodiernis diebus, noxiorum ejus effectuum immunes haud vivere, Sydenhamus et omnes scriptores recentiores satis superque comprobant. Nullus, qui ratiocinationem unquam exercuit, dubitare potest quod excessus vini admodum pervellit stomachum, debilitat, et igitur ad mala, sine numero, viam patefacit. Ea sunt mala immodici usus vini, ut Bacchi devinctus et intimus comes dixit:

> "At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
> Certamina monet, cum Lapathis rixa super mero
> Debellata; monet Sithoniis non levis Evius."

Medici se probe persuasos habent, quod vires, corpore desuefacto, imminuuntur, sanguinis circuitus retardatur, concoctio impeditur, et assimilationis vigor languet. Luculenter igitur apparet vitam otiosam vel sedentariam homines huic malo maxime proclives reddere. Quare haud temere admonuit Horatius,

> "Vitanda est improba, Siren—Desidia."

Ingluvies et crapula causæ hujus morbi prædisponentes recte habendæ sunt. Cibus coctu facilis syste-

mati vigorem tribuit, si eo modi sumptus sit ut a ventriculo, magno sine negotio, subigatur et concoquatur. Quodcunque ultra ingeritur, secundum Hyppocratem, evadit maxime nocivum: "ὁκα αν τροφη παρα φυσιν πλειων εσελθη, τουτο νουσον ποιεει."

Liberi filius qui mala quæ immodico vini usui subsequuntur, cantitavit, haud ea quæ ex cibi complemento ortum habuerunt, præterivit:

"Vides ut pallidus omnis
Cæna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una
Atque effigit humo divinæ particulam auræ."

De his duobus posterioribus doctissimus Van Schweiten insequenti modo erumpit: "Otio et luxu perditus homo quam debilis, quam misere vivit! minimam aeris ambientis multationem sensit illico; et millenis gulæ irritamentis quæ satietas non fames invenerit, vix potest languentem excitare venticulum."

CAUSÆ EXCITANTES.

Quicquid harmoniam actionis inter exhalantia et resorbentia eò dirimere ut aliquid aquæ restat intactum, repertum est, optimo jure, inter causas hujus morbi excitantes ponamus.

Causæ hunc effectum producentes in duplex genus distinguendæ sint. Ad primum genus pertinent causæ, quotquot exhalationem adaugent. Ad alterum, causæ quæ absorptionem minuunt referendæ sunt.

Exhalatio copiosiùs evadit ex variis causis. Primò, relaxatio exhalantium velut causa, summo jure, sibi locum vindicat. Membra paralytica cui hujusmodi laxitas est fundamento, magnam hujus causæ efficacitatem ad morbum sub judice, producendum, in lucem edunt. Mala, quæ fere ascites insequitur, qualia sunt febres aut continuæ aut intermittentes diuturniores, vita otiosa, exinanitiones nimiæ, cum aliis quæ nunquam non vires labefaciunt, clare ostendunt, hunc morbidum exhalantium effectum obtinere. Vasis, hac conditione, non facultas tenuiorem sanguinis partem retinendi, competit, quapropter major solita copia in cava elabitur. Secundò, omnia quæ obstaculo sanguinis venosi ad cor dextrum reditui sunt. Qualia sunt quædam cordis ipsius conditiones, valvularum ejus ossificatio, magnæ diuturnæque viscerum obstructiones, tumores varii. vasorum aneurismata, uterus gravidus, status corporis erectus, plenitudo generalis. Omnes quæ causæ agunt sanguinis arteriosi vim intendendo, qua ex re plus aquæ ejicitur. Tertiò, pars sanguinis serosa adaucta exhalationem multùm similiter adauget, præsertimque si causæ de quibus supra verba habuimus, concurrant. Sanguis fit tenuior aquam largiter ingurgitando. Appianus memoriæ tradidit, milites Antonii, postquam vino diu abstinuerant, aquâ se affatim replentes, hydrope laborare cæpisse. Fertur, aquam in aere circumambiente fluctuantem, a corpore absorptam, san-

guinem fluidiorem reddere. Aquosa humorum conditio multum aquæ per exhalantia permittit elabi, sicque hydropi originem præbet.

Aquæ accumulatio creberrime ex absorptione imminuta originem trahit. Nemini dubitatum est, quin absorbentium paralysis est causa absorptionis imminutæ frequentissima. Inter omnes consitat, resorbentes unà cum aliis corporis organis certam vim, ut functionibus sibi propriis perfungantur, requirere: Quapropter si vis alicujus organi decrescat, effectus suæ operationis pro rata parte diminuitur. Si igitur quæquam causæ agerent ad vires resorbentium quorum officium est aquam effusam inhaurire, infirmandas aqua usque accumularetur, donec morbus evaderet. Obstructiones glandularum hydropis causam extitisse, pro comperto medici diu habuerunt. Hic morbus exinde oriens, obstructis glandulis misentericis potius quam cæteris, referendus est. Aqua, iis occlusis, per lymphaticas haud potest transire ergo stagnat, morbo ingravascente. Inter causas excitantes recensendum, nobis non licet silentio præterire tumorum effectum. Varii tumores ex corpore enascuntur, qui venas comprimendo, transitui aquæ jamjam ab exhalantibus elapsæ resistunt.

Mos increbuit, inter causas quæ magna vi in morbo ciendo pollent memorandum, recensere quasdam causas mechanicas, scilicet, inter alias, rupturam ductus thoracici et lymphaticorum. Licet hæc non æque polleat in morbo ciendo, ac aliæ causæ recensitæ, tamen Bonetus inter eas locum merere putavit. "Verisimile etiam est, (inquit,) vasa lactea disrupta, humorem suum in abdominis cavitatem effundere." Cui

Van Sweitenii sententia maxime consentanea est, ut colligamus ex verbis insequentibus: "Si, impedito libero motu sanguinis venosi, distenta maneant vasa lymphatica, poterunt et aucta distentione rumpi, et liquidum contentum in cava effundere." Ductus thoracicus disruptus rite pro causa hujus mali habendus est, quoniam fluida quæ vehit in abdomen transfundendo, intumescentia tensa, vix elastica sed fluctuosa, variaque incommoda, quæ eum subsequuntur, inducit. MEDIUS in suis operibus mentionem fecit, rupturam ovarii magnam aquæ quantitatem continentis, dirum hydropem induxisse.

His causis allatis, rupturam renum, ureterum, vel ipsius denique vesicæ accensere multis arrisit; atqui, confitendum est, mihi, pro certo minimè habetur.

RATIO SIGNORUM.

Appetitus cibi fastidiosus.—Quando stomachus, corpore vegeto, magno vigore gaudet, omnia ingluvie stringit, sed corpore infirmato, appetitus evadit fastidiosus. Hanc mutationem ex amisso fibrarum ventriculi tono pendere, nullus, qui secum reputaverit, summum consensum aliis omnibus corporis partibus ventriculum annectere, non consentiet. Præterquam, si quis ad ventriculum ita positum ut vis aquæ hydropicæ relaxans in eum agat, oculum verteret, videbit quod

laxitate ventriculi fibrarum appetentia cibi prosternitur.

Œdema pedum crurumque.—Nonnunquam artus inferiores tumescunt, morbo ingruente, quo in casu, affectus ex debilitate generali, vel leucophlegmatia quæ contingere solet, oriri videtur. At si morbus inveteraverit, priusquam tumores enascuntur, eos ad compressionem venæ cavæ vel venarum iliacarum quæ refluxui sanguinis ab partibus inferioribus inserviunt, referendos esse, medici merito censent. Vasa ob sanguinem impeditum qui recursum ab inferioribus petebat, laticem in telam cellulosam effundunt. Atque ut compressio in venas, corpore erecto, multum intenditur, plus laticis, hoc statu, dilabitur.

Spirandi difficultas tussisque sicca.—Dubio vix locus est, debilitatem, qua, sub initio morbi, musculi respirationi inservientes aliquando afficiuntur, ægrotantem hoc signo, sæpe vexare. Quum, autem, morbus diutiùs processerit, ingens aquæ moles in abdomine collectæ actioni septi transversi liberæ impedimento sit, atque inde spirandi difficultas proveniat. Præterea, sanguinis circuitus per aortam descendentem, ab aqua, obstaculo occurrat, quando vis cordi se ipsum exonerandi haud inesset, quamobrem tantum sanguinis, quantum solitum est, e pulmonibus cordi recipi nequit. Pulmonibus insolita sanguinis quantitate impletis, vesiculæ aeriferæ compressæ essent, proindeque respirationis munera ægrius perficirentur. *Tussis* ab irritatione et molestia quibus laborant aquosi, provenire videtur. Inflammatio, fortasse, multo frequentiùs quam nobis animadvertitur, pectus adoriatur.

Sitis adaucta, cutis arida, urina parca, alvus astricta.—Duæ causæ, mihi persuasum est, ad hæc signa producendum concurrunt. Ut variæ corporis functiones munera sibi propria ritè explerent, necesse est, ut iis inhæreret certa vis aut tonum. Naturæ hujus morbi jamjam animos intendimus, et certiores sumus facti, pleraque organorum suas vires amisisse. Cum ratione igitur, reor, haud multum discreparemus, dicendo, glandulas salivarias eò debilitatis venisse, ut secretionibus suis impares sint. Nihil aquæ ad linguam extremam refrigerandam, stillat; ergo sitis calescit. Similiter glandulæ sudatoriæ atque urinantes pari affectu laborantes, officia sua infeliciter perficiunt; qua ex re urina parcè redditur, et superficies siccesscit. Alvus eadem siccitate affecta, tardescit. Insensilis alvi status etiam, ut creditum est, ad hoc signum evolvendum, haud parum confert. Secundò, affluxu abdominis cavum versus adaucto, quantitas magna vel quidem solita ad alias partes deferri nequit.

Ictus arteriarum abnormes.—Ea est systematis conditio languida, primo hujus mali gradu, ut arteriæ tardo debilique ictu pulsant. Morbo aggravescente, plurimæ causæ ad irritandum eveniunt, quibus agentibus, arteriæ validiùs frequentiùsque micant. Ascites tam diù perennat, corpore variis interim mutationibus objecto, ut non mirandum sit, quod arteriarum pulsus multum variarent, atque interdum valde abnormes fierent.

Dolores excruciantes.—Ingens aquæ copia in abdomine collectæ integumenta adeo distendit, ut fertur, dolores excruciantes indè inductos fuisse. Hos quidam

acritudini aquæ in abdominis cavo stagnantis ascripserunt, quanta proprietate aliis judicandum est.

Febres hectica.—Tot tamque diversa in hoc malo, incommoda ad vires systematis labefaciendas, oriuntur, ut, tametsi febris cum eo valde discordans esse videtur, tamen sub morbi terminum semper accenditur. Dolores et debilitas quæ nusquam non sub finem obtinent, procul dubio, febrem accendunt.

Vultus et totius corporis pallor.—Ventriculus tam infirmatur, et assimilationis processus tam impediuntur, ut ingesta ad corpus reficiendum non destinantur; systema collabitur; et sanguis, amisso suo rubore idoneo, evadit aquosus. Quocirca debilitas totum corpus labefactat, et vultui pallorem induit.

PROGNOSIS.

Præsagium hujus morbi, ex ægrotantis ætate; corporis constitutione; causis quæ morbum induxerunt; tempore quo morbus permanserit; et denique signis præsentibus rite perpendendis; reddere possumus. Si æger juvinilibus annis gaudeat, spes aliqua in eventu præsagiendo affulget; at si multos annos supervixerit, finis admodum faustus nobis non expectandus. Doctor Potter medicinæ practicæ professor, vir summis *animi* dotibus instructus, et cujus limatum *judicium* aliquid auctoritatis perveheret, inquit: "pueris anatu

faciliores reperiuntur." Vis nervosa in iis qui ætate provecti sunt, imminuitur, quod multum difficiliùs ad morbos sanandum facit. Constitutio corporis debilis et laxa est infelicissimum omen. Si malum pro causis agnoscit scirrhos aut tumores physconios; vel si ex præcedentibus morbis proveniat; ægrotantem in summo discrimine versari, nemo haud noscit. Quo diutiùs fere morbus duraverit eò difficilior sanatu evadit. Si nuper recensita signa ex causis facile amovendis orientia in bono systematis habitu leniter incedant; si appetentia cibi est minime diminuta; si neque febris, neque tussis, nec sitis multum pervellit; si aqua leviter opprimit; æger non magno periculo versatur. At e contrario, si morbus, a tumoribus in venas prementibus vel visceribus diuturnè oppilatis, allectus in corpus insanum impetum faciat; si aqua in abdominis cavum abunde influxerit; si diù perstiterit; atque si, nullis remediis expugnabilis, aggravescat; miserrimus æger ex faucibus Cerberi omnivorantibus eripi nequit.

RATIO MEDENDI.

Ex omnibus humanis conatibus, ii qui ad morbos depellendos spectant certò dignissimi et nobilissimi sunt. Apollo, cui "Jupiter est genitor," se nymphæ fugienti insinuare volens, gloriatus est medecinam sibi

fuisse inventam, atque se opiferum per orbem dictum fuisse:

"Inventum medicina meum est, opiferque per orbem

Dicor; et herbarum subjecta potentia nobis." Quamvis in altaria Delphis crateras olivi, die nocteque, fudi, tamen officium morbi tractandi adeô arduum est, ut animus haud absque metu me suadet sermonem reddere de tribus præcipuis hujus morbi medendi consiliis; scilicet:

I. De causis prædisponentibus evitandis;

II. De causis excitantibus tollendis;

III. De aqua jam collecta educenda.

I. Quod ad primum consilium spectat, nemo, cui CAUSÆ PRÆDISPONENTES recordatæ sunt, id non peragere poterit.

II. In secundo comparando consilio, oportet me mentionem facere, eadem remedia non semper indicari. Illa sibi invicem differunt secundum causas ex quibus ortum morbus trahit, quæ sunt: 1, vasorum ruptura; 2, obstructiones; 3, plenitudo; 4, debilitas fines exhalantium vel resorbentium afficiens.

1. Si morbis e vasorum ruptura alicujus lymphaticæ systematis partis oriatur, non opis est nostræ multum auxilii ferre, haud facile sanatur, et frequenter, (deputatur,) prorsùs insanabilis fit.

2. Quando malum proveniat ex obstructionibus liberum humorum cursum interpellantibus, ad ea semper decurrendum est, per quæ iis fere occurritur.

3. Si vasorum plenitudo huic morbo ortum dederit, vel si ex aliis enascatur causis, plethora adstante, aut diathesi phlogistica constringente, venam esse secan-

dam, dubio non locus est. Sponius, detracto vicies sanguine, hydropico salutem restituit. Rush inquit "I can with pleasure add, that I have cured one person of ascites and three of anasarca, (in the course of the three last years,) by means of bloodletting. It has been used with equal success by doctor Rawlings of Maryland, in a case of anasarca which had resisted nitre, and other powerful medicines commonly prescribed for that disorder." Quælibet causa morbum excitavit, detractione sanguinis nonnunquam opus erit. Atque malo ex causa nuper allata provenienti hoc remedium erit (plerisque philosophorum credentibus,) præstantissimum.

4. Debilitati fines exhalantium vel resorbentium afficienti, varia remedia, nimirum, exercitationem, victus regimen, sudorifica, emetica, cathartica, diuretica, obvertere possumus; primo, autem, ad exercitationem confugiendum est.

Exercitatio. Doctus Gregorius elegantis Conspectus auctor, de hoc re dixit: "Corporis quoque exercitatio, ratione haud obscura stimulum ei impertit satis validum, et in quibusdam morbis utilissimum, aliisque omnibus quotquot cogniti fuerint stimulis plane anteponendum. Hoc imprimis verum est, si quando motus sanguinis variis de causis præter naturam languet, et functiones, quædam ab illo pendentes, secretio præsertim atque excretio per cutem, et interdum per renes, simul deficiunt. Neque profecto defuere exempla, ubi post istud vitium eo usque processisset, ut hydrops planè instaret, vel jam ingravesceret, omnisque igitur valetudo in summo versaretur discrimine, per

E

stimulum idoneæ et crebræ exercitationis, sanguinis motu rite expedito, hydrops fugatus fuerit, et ægri penitus convaluerint. Hinc etiam, magna saltem ex parte, pendet beneficium istud insigne; et (*si quid de viribus remediorum certum dici potest,*) certum atque constans, quod multi ægri morbis vetustis laborantes a justa corporis exercitatione accipiunt."

Nostras Rush cujus auctoritatem, quoad praxin, superbiremus citare, inquit: "A Dispensary patient in this city was cured of this disorder by sawing wood. And a patient in an ascites under my care in the Pennsylvania hospital, had his belly reduced seven inches in circumference, in one day, by the labour of carrying wood from the yard into the hospital. A second patient belonging to the Philadelphia Dispensary, was cured by walking to Lancaster, sixty six miles from the city, in the middle of winter." Nemo dubitare potest exercitationem idoneo modo applicatam vires corporis multum reficere; at si in excessum progrediatur, tantum abest, ut prosit, ut è contra fit valde nociva. Is modus est idoneus qui sensationibus ægri gratissimus et viribus suis aptissimus est. Ægro, sub pleno Jove, exerceri præcipuè prodest, velut Virgilius sapienter asseruit:

"Fortunatus et ille Deos qui novit agrestes,
Panaque Sylvanumque senem." Recte igitur a Montesquieu in "L'Esprit Des Lois," observatum est: "La Nature est juste envers les hommes: elle les recompense de leur peines; elle les rend laborieux, parcequ' a de plus grands travaux elle attache de plus grandes recompenses."

Victus regimen.

"Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat. In primis veleas bene: nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit. At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita.——————————
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit."

Celsus de hac re sententiam evolvit eliganti modo sequenti: "Cibus esse debet ex media quidem materia, sed tamen generis durioris. Potio non ultra danda est, quam ut vitam sustineat: optimaque est quæ urinam movet. Alvum moliri cibo melius est, quam medicamento. Si tamen res coget, ex his aliquid, quæ id præstant, erit decoquendum, eaque aqua potui danda." Videtur autem hanc facultatem habere, potio, *gin punch,* dicta. Vinum quoque utile est meracius, sed quam tenuissimum.

Plurima in annalibus medicis prodita sunt exempla in quibus ægri "mensa tenui" contenti viventes ad sanitatem modo desperatam restituti fuerunt. Johnsonius Literarius, ut fertur, hydrope affectus, cibo totum diem abstinuit, dum (uti suis verbis,) "preparing himself to die;" sed revera erat seipsum præparans ad vivendum; fame malum necuit, et Hygeiæa victoriæ suæ arrisit. Memoriæ etiam traditum est, quandam hydrope laborantem fæminam, fabis elixis eorumque decoctis victitando, sanationem suam effecisse. Quam

plurimi alii regimine victus probè temperato convaluerunt.

Sudorifica. Hæc magni esse momenti ad hydropem arcendum credere nos pellicerent verba subsequentia Celsi cujus ex scriptis me semper delectat aliquid proferre: "Evocandus est sudor, non per exercitationem tantum, sed etiam in arenâ calida, vel laconico, vel clibano, similibusque aliis: maxime utiles sunt naturales, et siccæ sudationes." Modi sudoris eliciendi inter se multum discrepant. Celsus et Lieutaud methodo per externa, scilicet, per arenam, furfurem, solis radios, fumum, sudatorium, et siccum aera tepidum, favere videntur. Dampierum inter orbem terrarum circumnavigandum hydrope correptum, traditur, se insulæ Californiæ in arena defodisse, quod sudorem profusum evocavit, quo ex tempore indies convaluit. In Italia, ferunt, esse caveas siccas in quas se magno cum emolumento hydropici conferunt. Si ad medicamenta in- interna decursum sit, sequentia, me judice, erunt seligenda: nitras potassæ, eupatorium perfoliatum, oxydum antimonii cum phosphate calcis, varia antimonii alia præparata, pulvis epicacuanhæ compositus, et mercurius dulcis, de quo, in animo est, fusiùs infrà disserrere.

Emetica. De his Fothergillius inquit: "neque solis emeticis curatio committenda, nec sine his tentanda; cum longiores adimant labores, et compendio quasi rem gerunt, quæ pluribus adminiculis cæteroquin indiget. Remedia antihydropica, priùs memorata, suum opus absolvere videntur, motum et attritum fluidorum ciendo, pellendo, difflando exuberantem lympham. His om-

nibus simul conducit nisus emeticus fortis, sæpius repetitus; crassa quippe comminuit, obstructa reserat. propellit stagnantia, humida exsiccat, secretiones aquosas auget, solutum sanguinem compingit, resolvit viscidum, celeriorem ad extrema facit appulsum, movetque sudores. Adde, quod ingentem in tumefactum abdomen vim exerit, et quum in hoc tantummodo sedem habet morbus, nec quopiam viscere pessundato, nec in corpore valdè senili, et recens sit, repetitis emeticis, bene instituta diæta, et exercitatione modica, res tutò expeditur, nisi in iis sit, "quibus inutilis libertas est, nec tam facile coguntur ac ii, qui servitutis beneficio convalescunt." Casus hydropis ad ultimum fere gradum provecti a Foresto narratur qui magnam emeticorum efficacitatem in eo arcendo demonstrat. Æger hydrope eò usque affectus, ut medicis desperatus, ad littus marinum se contulit et navem ascendit, ubi nausea correptus, abunde admodum vomuit. Quo facto, crebra exercitatione usus est, et quam citissimè saluti restitutus est. Huc afferre liceat Sydenhami aliorumque sententias consentaneas. Liquet ex variis factis, vomitionem ad vigorem vasis lymphaticis impertiendum eorumque actionem intendendum, plurimum valere. Unum solummodo, hoc loco, adducam: Joannis Hunter, bubonem, quô æger suæ curæ commissus, affectus erat, crastino die, incidere proposuit, sed ægrotus interea mare petens, morbo marino corripitur, et vomitione valde pervellitur. Bubo penitùs evanuit, neque chirurgici quicquid auxilii indiguit. Vomitoria potentiora, nempe, mercurii sulphas, tartris potassæ stibiata

scillæ maritimæ, vinum stibiatum &c. majori vi pollent, in hanc indicationem comparando.

Cathartica. Sydenhamus, Monroeus, et Cullenus, medici omni fide dignissimi, narrant, se hydropem purgantibus sanasse. Potentiora, (aut drastica, ut vocantur,) quam mitiora, ut fertur, (et ni fallor idem sæpe observavi,) ad hoc propositum complendum plus valent: ad sennam, jalapam, gambogiam, scammonium recurrere necesse est. Purgantia ad absorptionem promovéndum haud parum conferre, constat, ex facto a Cruikshank prolato, quendam hominem per plures uncias, post catharticum operantem, prægravare.

Diuretica. De his remediis quanquam medici "dicta phalerata" loquuti sunt, tamen nemo iis nimiam laudem tribuit. His solis, aliis nihili valentibus, morbum fugare sæpe possumus. Ea quæ nostro proposito maxime respondent, sunt sales alkalini, sales medii, supertartris potassæ, carbonas potassæ, scillæ maritimæ, digitalis, &c. "Two ounces of nitre (inquit Rush,) dissolved in a pint of water, and a wine glass full of it taken three times a day have performed perfect cures in two cases of ascites, which have come under my notice." Home supertartrem potassæ, faustissimo cum eventu administravit. Carbonas potassæ Pringle optimo successu usus est: "I found the dropsies which were the consequences of intermittents, to be chiefly cured by the lixivial salts, either in the form of broom ashes, salt of worm-wood, or salt of tartar." Vix operæ pretium duco, remediis pro hoc malo multo ampliùs immorari; festinabo, igitur, ad ultimum et (ut plerique autumant,) præstantissimum.

Celeberrimus prof. Gregorius aliique experientia stipati testantur mercurium dulcem scilla conjunctum, remedium omnium quæ hactenus fuerint cognita potentissimum constituere. Meâ quidem sententià, neque solitaria est, præstat, hæc medicamenta seorsum adhibere. Mercurius ægrotanti præbendus est sub horam somni, et scilla per diem. Inter hæc medicamenta exhibenda, æger ad sitim restinguendam potum, *gin punch*, dictum, caperet.

III. Quantum ad tertium consilium pertinet, ei haud raró respondent remedia prælata, at si hæc ad aquam educendam non polleant, opem a Paracentesi petendum est. Hæc, si primo morbi impetu imploretur, eum uno velut ictu profligat.

Finis.

CORRIGENDA.

Pagina 9, linea 16, pro *αυτα* &c. lege *αντα* &c.
Pagina 11, linea 8, pro nostræ, lege nostri
Pagina 13, linea 12, pro annumerandum est, lege annumeranda sunt;
Pagina 16, linea 11, pro omnenem, lege omnem
Pagina 17, linea 8, pro huic, lege hunc
Pagina 19, linea 10, pro delassatus, lege delassatum
Pagina 20, linea 10, pro ventre percusso, lege venter percussus
Pagina 21, linea 28, pro sithara, lege cithara
Pagina 22, linea 4, pro incommoda, morbum, lege incommoda sunt, morbum,
do. linea 14, pro cui, lege quibus
do. " 15, " sivæ, lege sive
Pagina 23, linea 8, pro vinum, lege vino
Pagina 24, linea 12, pro effigit, lege affigit
" " 16, pro multationem, lege mutationem
" " 18, pro venticulum, lege ventriculum

Book taken apart, leaves deacidified with magnesium bicarbonate. All leaves supported with lens tissue. Leaves mended. Resewed with new all-rag end paper signatures & unbleached linen hinges. Rebound in quarter unbleached linen with Fabriane paper sides. June 1977.

Carolyn Horton & Associates
430 West 22 Street
New York, N.Y. 10011